

# ***ORATIONES DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS***

Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus.  
Pius Pp. XII, 14 Januarii 1940

*Cum lavat manus dicat:*

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

*Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:*

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

*Ad Albam, dum ea induitur:*

Dealba me, Domine, et munda cor meum; ut, in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

*Ad Cingulum, dum se cingit:*

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis; ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

*Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro:*

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris; ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

*Ad Stolam, dum imponitur collo:*

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevaricatione primi parentis; et, quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

*Ad Casulam, dum assumitur:*

Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.